FLORA.

№ 23.

Regensburg. Ausgegeben den 12. Juli. **1864.**

Inhalt. Nylander: Pyrenocarpei quidam Europaei novi. — Litteratur. Gelehrte Anstalten und Vereine. — Botanische Notizen. — Verzeichniss der im J. 1864 für die Sammlungen der kgl. bot. Gesellschaft eingegangenen Beiträge.

Pyrenocarpei quidam Europaei novi. Exposuit W. Nylander.

Lichenes, annis ultimis attentius quam antea in terris variis explorati, multa necessario ante incognita obtulerunt. Etiam in Europa haud paucae species novae nuper detectae sunt [1]). Inter collectores, qui annis tribus ultimis messes maxime notabiles fecerunt, citentur DD. Jones, Croûan, Fellman, Carroll, Ohlert, Norrlin, Kullhem [2]), multa explorationibus suis praesertim ad cognitionem distributionis geographicae conferentes; variae lichenographiae novitiae sic etiam accederunt. Tales Pyrenocarpeorum quasdam hic breviter definire liceat.

De apotheciis pyrenocarpeis observetur mira confusio, quam haud raro faciunt auctores cum apotheciis discocarpeis (lecideinis

1) Hocce pro magna parte originem ducit e subtiliore distinctione formarum variarum. Similiter in Phanerogamia rationem examinandi et distinguendi, quae Jordanismus appellari potest, ubique novitias detegentem videmus. In genere revera Lichenes inter partes scientiae botanicae optime cognitas pertinent; luxurie potius nomenclaturae ea pars laborat quam penuria quadam hoc respectu manifestata. Tanto magis est vituperanda levitas, qua nomina nova saepe temerarie lichenibus proponuntur.

2) DD. Kullhem et Simming aestate 1836 prope Onegam lacum invenerunt optime evolutam fertilemque eximiam *Ricasoliam Wrightii* (Tuck.), praeter plures alias species raras, quas in serie copiosa vidi inde ab his collectoribus praestantissimis reportata.

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr05979-0357-8

praecipue) minus explicatis vel epithecium nondum haud expansum habentibus; tamen typus uterque fructus Lichenum omnino invicem differt [1]). Error oriri non potest nisi ex analysi manca, quae negligit formam clausam apothecii vere pyrenocarpei vel perithecii ejusdem; nec praetervideantur filamenta ostiolaria, quae etiam characterem praebent horum apotheciorum. Attamen est animadvertendum, filamenta ea (quae ex anamorphosi ortum ducere videntur paraphysum) plus minusve evoluta adesse; sic ex. gr. in *Verrucaria polysticta* Borr. arthrosterigmata quasi referentia, crassula, articulata conspiciuntur, in aliis autem speciebus ejusdem generis gracilescentia vel quidem in infimis obsoleta aut cum paraphysibus confusa. Atque magis evoluta distinctioraque vulgo observantur, ubi paraphyses desunt vel nonnisi rudimentariae occurrunt. — Quoad perithecium animadvertatur, id cum hypothecio subhymeniali plus minus confluere; haud raro eae partes conceptaculi vario modo evidentius discreta sunt, sed hocce identitatem anatomicam physiologicamve haud tollit. Perithecium superum discretum, quale offerunt saepe Verrucariae, quoque apud spermogonia interdum (ex. gr. in *Umbilicaria pustulata*) adest; partem hancce externam perithecii cum epithecio apothecii discoidei confundere nonnisi tironibus accidere potest. Semper indicavi, pyrenocarpeis epithecium esse typice et constanter contractum, punctiforme.

1. *Verrucaria cervinula* Nyl.

Thallus cervinus vel lurido-fuscescens squamulosus, squamulis sat parvis firmulis sublobatis vel saepe nonnihil conflexis; apothecia extus punctis nigris crebris minutissimis indicata, parvula, immersa, perithecio tenui infuscato; sporae 8nae incolores ellipsoideae simplices (vel haud raro tenuiter 1-septatae), longit. 0,014—23, crassit. 0,008—0,011 millim. Gelatina hymenea iodo vinose rubens.

Supra terram in Lapponia maxime orientali, ad Ponoi, leeta N. F. Fellman.

Affinis est *V. cartilagineae*, sed minor, thallo libenter conflexo, peritheciis infuscatis, etc.

---

1) Pluries exempla talis confusionis attuli. Novum exemplum sistit „*Gongylia glareosa*“ Krb., quae (ex specimine a cl. Ohlert communicato) est *Lecidea* analoga *Lecideae citrinellae*. Sic nova finguntur genera!

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr05979-0358-4

2. *Verrucaria inumbrata* Nyl.

Thallus fuscescens vel sordide cinereo-fuscescens vel cervinus, sat tenuis effusus inaequalis, saepe dispersus; apothecia mediocria a thallo tecta, ostiolo nudo epithecio minutissimo saepius impresso, perithecio integre nigro; sporae 8nae incolores oblongo-ellipsoideae vel ellipsoideae, murali-divisae, longit. 0,033—50 millim., crassit. 0,017—25 millim. Gelatina hymenea iodo vinose rubens.

Ben Lawers in Scotia, ad saxa schistosa edita (cl. Jones).

Inter *V. Sendtneri* et *V. intercedentem* locum systematicum habet haec species.

3. *Verrucaria aorista* Nyl.

Similis fere *V. epigaeae*, sed apotheciis perithecio solum parte supera nigra, cetera incolore; sporae 8nae simplices ellipsoideae, longit. 0,014—23 millim., crassit. 0,007—0,010 millim., paraphyses graciles parcae irregulares. Gelatina hymenea iodo dilute coerulescens (thecae persistenter dilute coerulescentes, apice intensius tinctae). Thallus tenuis virens protococcoideus.

Supra terram ad Brest (DD. Crouan).

4. *Verrucaria decolorella* Nyl.

Thallus macula effusa gelatinosa albida vel sordide albida indicatus; apothecia punctis nigris parum prominulis minutis indicata, perithecio supra (lamina tenui viso) nigricante inferiusque dilutiore vel subincolore (latit. circiter 0,15 millim.); sporae 8nae incolores fusiformes 3—5-septatae, longit. 0,021—30 millim., crassit. 0,007—9 millim., paraphyses graciles (saepe ramosae). Gelatina hymenea iodo haud tincta.

Supra muscos vetustos caespitose constipatos (*Dicrana* etc.), prope Jokonga et aliis locis ad Mare Glaciale in Lapponia orientali (Fellman).

Accedit ad V. illinitam Nyl. Coll. Gall. mer. et Pyren. p. 10, sed ea thallum habet distinctiorem, apothecia majora, sporas longiores 7-septatas, paraphyses minus graciles (simplices), etc.

5. *Verrucaria sphinctrinoidella* Nyl.

Forte varietas *V. sphinctrinoidis* Nyl. Thallus obsoletus, apothecia paullo minora et minus prominula, sporae minores,

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr05979-0359-2

longit. 0,022—30 millim., crassit. 0,008—0,012 millim., gelatina hymenea iodo vix vel obsolete coerulescens (sed thecae apice distincte coeruleo-tinctae).

Supra muscos minores vel terram arenosam prope Kola et ad Ponoi, in Lapponia orientali (Fellman). Etiam ibi supra thallum *Peltideae aphthosae*.

Sed observetur simul, cl. Fellman detexisse statum maxime evolutum *Verrucariae sphinctrinoidis* in Lapponia orientali Dicatur *leucothelia* et exprimat, ni fallor, ipsum typum primarium speciei, thallo albo vel albo-glaucescente tenui subgranuloso vel granuloso, apotheciis in verruculis thallinis innatis (ostiolis modo denudatis nigricantibus), *Pertusariam minutam* imitans; verruculae mastoideae latit. fere 0,4 millim. Haec *V. leucothelia* est admodum concinna; *sphinctrinoides* videtur sistere varietatem ejus depauperatam.

6. *Verrucaria furvescens* Nyl.

Thallus fuscescens vel olivaceo-fuscescens granulato-inaequalis sat tenuis (vel crassit 0,75 — fere 1 millim.), opacus, effusus, haud continuus; apothecia innata mediocria (latit. circiter 0,4 millim.) apice conice emerso, perithecio integre nigro; sporae 8nae incolores fusiformes 5-septatae, longit. 0,031—33 millim., crassit. 0,006 millim., paraphyses sat graciles confertae.

In Scotiae montibus Ben Lawers, supra muscos minutos in terra schistoso-micacea.

Ad stirpem pertinet *Verrucariae chloroticae*; notis datis bene distinguitur. Gonidia magna (diam. 0,026—32 millim.).

7. *Verrucaria pertusariella* Nyl.

Thallus albido-cinerascens tenuissimus indeterminatus vel obsoletus; apothecia in protuberantia prominula pallida (vel maculae thallinae concolori) innata pertusarioidea (latit. 0,5 millim. vel minora), ostiolo impressulo obscuro vel nigricante, perithecio incolore; sporae 8nae incolores oblongo-fusiformes irregulariter divisae (septis 5—9 transversis, additis aliis paucis sensu longitudinali vel obliquo), longit. 0,024—28, crassit. 0,008—9 millim. paraphyses gracilescentes. Gelatina hymenea iodo haud tincta

Ad corticem salicis in Lapponia orientali regionis Pono (Fellman).

Ad stirpem pertinet *Verrucariae muscicolae* Ach. Facie est fere *Pertusariae parvae* verrucis monohymeneis vel *Thelenellae*

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr05979-0360-2

8. *Verrucaria conformis* Nyl.

Similis *V. biformi*, sed apotheciis perithecio dimidiato-nigro. Variat quoque thallo albido virescente. Forte non Species distincta.

Ad cortices (populi, salicis, Evonymi) prope Brest (Crouan).

9. *Verrucaria consequens* Nyl.

Thallus obsoletus cinerascens latissime effusus, non distinctus; apothecia sat parva prominula, perithecio dimidiatim nigro; sporae 8nae incolores ovoideae 1-septatae (superiore parte crassiore), longit. 0,016—19 millim., crassit. 0,007 millim., paraphyses parvae vel nullae distinctae. Gelatina hymenea iodo haud tincta.

Supra saxa calcarea, aestibus maris submersa, prope Glenarm in Hibernia (Jones).

Species accedens ad *Verrucariam epidermidis* et quasi eadem saxicola.

10. *Verrucaria bryospila* Nyl.

Thallus fusconiger tenuis opacus; apothecia nigra, perithecio integre nigro (latit. circiter 0,2 millim.), parte supera prominula (subconica), epithecio impresso; sporae 8nae (sed variant 4 vel 2 in thecis) incolores, oblongo-ovoideae 1-septatae; longitud. 0,030—0,044 millim., crassit. 0,011—12 millim., paraphyses graciles. Gelatina hymenea iodo haud tincta.

Supra muscos in Norvegia arctica, Kaafjord, legit Js. Carroll.

Ad stirpem eandem pertineat ac praecedens.

11. *Verrucaria beloniella* Nyl.

Thallus vix ullus; apothecia lacte ferruginea minutissima (latit. circiter 0,2 millim. vel minora) subrugulosa convexula, epithecio obtuse irregulariter impresso; sporae 8nae incolores fusiformes 3-septatae, longit. 0,018—21 millim., crassit. circiter 0,005 millim., paraphyses graciles parcae. Gelatina hymenea iodo haud tincta.

Ad saxa micaceo-schistosa in Norvegia, Guldbradsdalen (Carroll.)

Facie externa fere sumatur pro *Lecanora ferruginea* juvenili. Apothecia lacte tincta, perithecio crassulo ratione hymenii, sparsa aut aggregata, faciei fere biatorinae. Forsan sistat *Mycoporum* simplex.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr05979-0361-8

12. *Thelopsis melathelia* Nyl.

Thallus vix ullus proprius (chroolepoideus); apothecia nigra tuberculoso-prominula rugoso-irregularia (latit. circiter 0,5 millim.), epithecio haud semper distincto, perithecio ellipsoideo nigricante (vel lamina tenui rufescente) undique similari; thecae polysporae, sporae ellipsoideae vel oblongae, saepius indistincte 3-septatae, longit. 0,014—17 millim., crassit. 0,006—7 millim., paraphyses graciles et filamenta ostiolaria gracilia. Gelatina hymenea iodo coerulescens, dein sordide violacee tincta.

Supra muscos depressos ad terram in micaceo-schistosis alpis Ben Lawers Scotiae (Jones).

13. *Melanotheca superveniens* Nyl.

Apothecia parasitica (nonnulla in excrescentiis singulis tuberculiformibus substrati) nigra opaca plana innata, rotundata vel subrotundata (latit. 1 millim. vel minora), margine thalli alieni distincto, sed vix prominulo (saepius plano); sporae 4—8nae incolores fusiformes 3-septatae, infra apiculo attenuatae, longit. 0,032—36 millim., crassit. 0,006—7 millim., paraphyses gracilescentes anastomosantes, epithecium nigrum, hypothecium fuscum. Gelatina hymenea iodo vinose rubens, parte hypotheciali intense coerulescente.

Supra thallum *Parmeliae sulcatae* Tayl. prope Brest (Crouan).

Hymenia plura in quovis apothecio, hymenia singula latit. 0,16—0,19 millim., perithecio incolore. Spermogonia minuta, in apotheciis innata.

14. *Melanotheca simplicella* Nyl.

Similis est *M. aciculiferae* Nyl. Pyrenoc. p. 71, sed apotheciis simplicibus vel 2—3 connatis, *Verrucariae parvulae* facie, perithecio dimidiatim nigro; sporae 8nae aciculares, longit. 0,046—80 millim., crassit. 0,0020—0,0035 millim.

Etiam hanc clarissimi fratres Crouan detexerunt prope Brest. Ad corticem fraxini ibi degit.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr05979-0362-4

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung

Jahr/Year: 1864

Band/Volume: 47

Autor(en)/Author(s): Nylander William

Artikel/Article: Pyrenocarpei quidam Europaei novi 353-356